

datam¹ in regnum Syccilie intravit, illud auferens Federico regi, quapropter papa eum excommunicavit. Pax firmatur eodem anno inter Sanenses et comitem Guidonem. Florentini vero Senenses debellaverunt apud Montem-altum². Anno MCCXI. Otho imperio privatur, et Federicus elegitur.

Cl. Fredericus³ II^{us}, Henrici de Soavia filius, a principibus consensu pape electus est, qui veniens Romam maximo cum honore coronatur in basilica beati Petri. Et imperavit annis XXXIII. Anno MCCXII. hic amicus ecclesie suscepit imperium, set subito in contrarium mutatus est, quia crudelis hostis effectus multas persecutiones dedit ecclesie, ut infra patebit. Anno MCCXV. lis⁴ exorta est inter Florentinos propter mortem Bondelmontis militis egregii, causa in eorum cronica patet. Cives divisi sunt, aliqui Guelfi, aliqui Gebelini nominantur⁵. Anno MCCXVIII. hedificatus est Florentie pons qui dicitur alla Carraia⁶. Anno MCCXXII. Florentini Pisanos debellaverunt apud castrum de Bosco, quod est medium inter Pisas et Florentiam, et MCCC^{tos} captivaverunt⁷. Anno MCCXXV.⁸ propter persecutiones ecclesie illatas ab Innocentio papa excommunicatur et imperio privatur; principes elegerunt langravium Thuringie; quo paulo post mortuo, elegerunt Willielmum Holande comitem, qui a Frisionibus occiditur. Anno MCCXXVIII. missi sunt per summum pontificem ultra montes legati duo cardinales, videlicet dominus Iacobus Penestrinus et dominus Octo, pro subsidio ecclesie contra Federicum; cum ad curiam redirent, a Pisanis capti sunt. Anno MCCXXX. cum Henricus filius suus, rex Alamanie, de rebellione accusaretur, ab illo captus in carcerem⁹ obiit. Anno MCCXXXIII. Federicus dudum cruce signatus durante excommunicatione transiit mare, set nihil profecit. Anno MCCXXXVI. in Burgundia mons quidam altissimus se dividens ab aliis montibus et cum aliis se coniungens unam vallem in medio positam replevit, et mortui sunt homines VM. Anno MCCXXXIX. translata est corona spinea domini nostri Yhesu Christi de Constantinopoli Parixius in cappella regis beati Niccolai. Anno MCCXL.⁹ gens Tartarorum, occupatis regionibus orientalibus, in duo agmina se dividens, Ungariam et Poloniam intraverunt; ubi campestri bello cum ipsis habito, frater regis Ungarie dux

1) 'et' folgt, getilgt in der Hs. 2) Vgl. Ann. S. Mariae Nov. zu 1207 u. 1209; Villani V, 33. 34. zu 1207 u. 1210; Cod. Neapol. p. 273 zu 1207. 3) 'Henricus V^{us}' corr. in 'Fredericus II.' Hs. 4) 'lix' corr. in 'lis' Hs. 5) Vgl. Villani V, 38; Ptol. Luc. zu 1215. 6) So Villani V, 41. u. Cod. Neapol. p. 273 zu 1218. 7) Cf. Villani VI, 3; Cod. Neapol. p. 274. u. Ptol. 8) So hat der Verf. wirklich irrig für 1245 geschrieben, wie sich aus der Einordnung der Notiz ergibt. Er hat die folgenden Jahrzahlen, die sich bei Martin nicht fanden, meist nach Gutdünken ganz falsch eingesetzt, indem er meinte, Martins Erzählung folge chronologischer Ordnung, was nicht im geringsten der Fall ist. 9) So Hs. 10) Diese Zahl hat cod. A des Martin, die andern 1239 und 1230.